







1756

1. Balemann, Henricus : De foemina ex antiquitate
legibusque Romanis Germanicis et praesertim Lubecensibus
2. Humannus, Jo : De jure Germanici generis recte
internoscendo
- 3^a Humannus, Johann : De re diplomatice Riberica
II Imp. Aug.
- 3^a Nagelius, Joh. Andreas Michael : Disputatio inamy,
que variis jure naturae christianorum
partem disquisitioni subiecta.
4. Waef, Joh. Georgius Frider : De violatione legum
extrajudiciali et nulli in laesione nec impugnandi
nec rescidendi nec reformandi.

1757.

1. Haffner, Johann Benckert : De quibusdam causis
exheredationis

2. Hübner, Tobias : De testamentis caeci et illud
test. reform. Nov. tit. 29. l. 2 §. Und visibil
3. Leng, Georgius : De onere inventarii
- 4^a Schlozer, Hieronymus Petrus : De Verbo Testamentum
vixit omni Testa. Schul. Baum. 2 Quodl.
5. Stiglyz, de Courten : De usu et ac presentia
tabulae Praenatae in jure Romano
1758.
1. Kretzler, Joannes Laurentius : De exceptione senatus
cuncti Macedoniarum si defensoribus filiorum
vestris deponenda.
2. Hoffmann, Benh. Mauritius : De revocatione
testamentorum ex jure Germaniae principis
explicata

3. Staudner, Christophorus Immanuel: De testamentis
venientiam infirmis
4. Staudner, Franciscus Leonhardus: De testimoniis iuratis
et illis. l. 5^{§§} 2, 3, 4. et lib 6 tit. 7. ref. Nov.
1789.
1. Haffner, Johannes Bernhardus: De lege 6 hac et aliis
leg. de secundis nuptiis et Germanorum mores ante
applicanda.
2. Meier, Fridricus Lamulius Wilhelmus: De iure
successionis ex pacto et providentia majorum.
3. Tersztygensky, Daniel: De actione hereditatis,
aut de modo aquirenda hereditate ex legibus
aeriarum succincha disquisitione praenititur.

4. Tresmentes, Fr. Mercur. Christophorum : De universis
pulsione minus plene

1766.

1^a ed.

~~1^a~~ Felabell, Ludovicus Christophorum : De iuribus acci-
piorum et, monstrando quosdam leges tit. 36
reform. Nov. 2 Dupl.

2. Vogelius, Gostonus Philippus : De praemissis
accessoriorum Pandemio in Francica civitate
velut Rom. - Hanc Hanc dicto



1758
Pr. 31. Num. 18.

9.
D. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE

12
EXCEPTIONE SENATVSCON-
SVLTI MACEDONIANI FIDEIVS-
SORIBVS FILIORVMFAMILIAS
DENEGANDA

P. 243
QVAM
DIVINIS AVSPICIIIS
IVSSV ET AVCTORITATE
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN CELEBERRIMA ACADEMIA ALTORFINA
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE OBTINENDI

DIE XX. IVNII A. MDCCLVIII.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET

IOANNES LAVRENTIVS DRECHSLER
NORIMBERGENSIS.

ALTORFII
TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.



EXCESSIONE SENSATIONE
 SENSATIONE SENSATIONE
 SENSATIONE SENSATIONE
 SENSATIONE SENSATIONE

IN SENSA SENSATIONE
 SENSATIONE SENSATIONE
 SENSATIONE SENSATIONE
 SENSATIONE SENSATIONE
 SENSATIONE SENSATIONE

JOHANNES FABRICIUS
 SENSATIONE SENSATIONE
 SENSATIONE SENSATIONE

SENSATIONE SENSATIONE
 SENSATIONE SENSATIONE



LIBERAE AC INCLVTAE
SACRI ROMANI IMPERII
REIPVBLICAE
NORIMBERGENSIS
SENATVI
SPLENDIDISSIMO AMPLISSIMOQVE
PERILLVSTRIBVS ATQVE GENEROSISSIMIS
DOMINIS DOMINIS
DVVMVIRIS
TRIVMVIRIS
SEPTEMVIRIS
CONSVLIBVS
SENATORIBVS

PATRIBVS PATRIAE

OPTIMIS

DOMINIS AC MAECENATIBVS SVIS

GRATIOSISSIMIS

D. D. D.

HOC QVALECVNQVE SIT SPECIMEN INAVGVRALE

PERPETVA FIDE ET OBEDIENTIA

OBSTRACTISSIMVS CVLTOR

IOANNES LAVRENTIVS DRECHSLER.

PATRES PATRIAEQVE
PROCERES OPTIMI!

SI, quo ampliora ex sapiente reipublicae gubernatione in ciues commoda redundant, eo incitatioe pietate illius moderatores sunt colendi: dubitari profecto non potest, Vos, Patres Patriae Sanctissimi, tanto maiore cultu esse prosequendos, quanto exoptatioe felicitate abna Norris nostra auspiciis Vestris nunquam non usa fuit. Quae enim mente cogitationeque effingi potest beatae ac omnibus numeris absolutae reipublicae imago, eam ciuitas Norimbergensis, Franconiae ocellus, inuidenda exteris felicitate refert. Et quidni referat? Quum tam sapientibus illam legibus emendetis, tam prudentibus in omni publicorum temporum uarietate consiliis moderemini, ut, si dubium adhuc esset, forte casuque rectores ciuitatibus, an diuini Numinis prouidentia dentur,

A 3

tur, Vos certe non occulta fatōrum potestate, sed diuinitus constitutos esse intelligeretur. Quid mirum itaque, si incitatissimi flagro desiderii igniculo, praeclara illa merita Vestra omni reuerentia suspiciendi? Quā de causa, ut mentem meam omnis pietatis ac obseruantiae plenissimam aliqua ratione Vobis testatam reddere possim, specimen hoc inaugurale splendidissimis Nominibus Vestris sacrum dicatumque esse iubeo. Quod, personis quidem Vestris haud satis dignum, et sola hac reuerentiae meae testificatione commendabile, ut prolixè excipiat, meque benignitate ac propenso favore Vestro non indignum iudicetis, etiam atque etiam rogo, cuius certe memoriam tam grata semper mente recolam, ut eam nulla unquam deletur a sit obliuio. In publica commoda peccarem, si longo Vos sermone morarer. Deum O. M. precor atque obtestor, ut in tristissima hac, quae omnem Germaniam opprimit, procella, ciuitatem nostram custodiat, seruet, protegat, Vosque Patres Patriae grauissimi, omni cumulatos felicitatis genere longissima fungi statione mortali, splendidissimasque gentes Vestras in omne aeuum florere iubeat. Scrib.

Altorsii D. XVII. IVNII A. S. R.

MDCELVIII.

Q. D.



Q. D. B. V.

§. I.

CVrriculi Academici spatium emensus, cum, quamnam potissimum ex tam late patente iurisprudentiae nostrae ambitu materiam pertractandam sumerem, meditarer: de Scti Macedoniani exceptione, fideiussoribus filii familias deneganda, quaedam saltem problematice proponendi consilium cepi, ea praecipue ratione adductus, quod nonnullos Doctores, istius Scti exceptione fideiussores cum efficacia uti posse, sine accuratiore limitatione adseruisse observavi. Ne vero in tanta rerum, quae hac materia continentur, diversitate nonnulla haud fatis expedita relinquuntur, praecipua momenta, quae pertractationi nostrae maiorem lucem adfundere posse videntur, prius delibabo.

babo, quam ad rem ipsam excutiendam me accingam. Ac primo quidem loco, ut nonnulla de Scto Macedoniano ipso in medium proferam, materiae nostrae natura atque constitutio suadet.

§. II.

Quo tempore conditum fuerit, non satis constat ac valde discrepant eruditorum opiniones. Nonnulli sub Claudio Imperatore IV. et Vitellio III. *Coff. A. V. C. 799* conditum illud fuisse, ex hoc loco *TACITI*, *Annal. L. XI. c. 13* colligunt: „Clau-
 „ dius lege lata saevitiam creditorum coërcuit, ne
 „ in mortem parentum pecunias filiisfamilias foeno-
 „ ri darent“. Alii vero eius originem *Vespasiani* temporibus uindicant, idque ex hoc loco *SVETONII*, *Vesp. XI.* inferunt: „Auctor Senatui fuit decer-
 „ nendi, - - - ne filiorum familias foeneratoribus
 „ exigendi crediti ius unquam esset, hoc est, ne
 „ post patris quidem mortem. In alterutro aut for-
 „ tasse in utroque horum locorum Scti Macedoni-
 „ ani mentionem fieri, vix dubitari potest, mihi-
 „ que a veritate propius abesse videtur sententia eorum,
 „ qui hoc Sctum sub Claudio quidem conditum, sub
 „ sequentibus vero Caesaribus oblitteratum ac propterea
 „ a *Vespasiano* renovatum fuisse coniiciunt. Certe
 „ verba *Suetonii* locum supra citatum proxime ante-
 „ cedentia: „Libido atque luxuria, coërcente nullo,
 „ invaluerat“ hanc opinionem corroborare viden-
 „ tur. Ut taceam, auctorem legis non necessario,
 „ nec semper primum istius latorem, sed interdum
 „ quoque restauratorem et innovatorem in Romanorum
 „ lingua significare. Non diutius inhaerebo huic
 „ disqui-

disquisitioni, quam cum multis implicata difficultatibus, nec cum proposito meo satis connexa sit, iure meritoque in medio relinquo. Plura nosse cupiens evolvat PETR. FAB. I. Semestr. c. ult. ANT. AVGVST. de LL. et Sctis p. 212. TORRENT. ad Sueton. THEOD. MARCIL. ad Suet. LIPSIUM ad Tacit. SCHVLTINGII Iurisprudens. anteiust. FRID. BRVMMER. ad L. Cinciam, et GOTHOFRED. ad rubr. ff. de Scto Maced.

§. III.

Quod ad denominationis originem attinet, illam a Macedone, improbo foeneratore ac versuto circumscriptorum filiorumfamilias artifice adeptum esse hoc Sctum, extra omnem dubitationis aleam collocatum est. Nam THEOPHILI commentum, Macedonem, adolescentem luxuriosum ac parricidam ei nomen dedisse, iam dudum ab omnibus fere huius Scti commentatoribus explosum est, ac inter alia ex hoc ipso, ut quasi in transitu moneam, intelligi potest, paraphrasten istum non fuisse illum Theophilum, qui, prout ex §. 3. proem. Inst. constat, Tribonianum aliosque in iuris compilatione adiuvit, quique in tanta verborum ipsius Scti perspicuitate profecto non tantopere allucinatus fuisset. Cum leges ac Scta propemodum omnia latoris auctorisve sui nomen prae se ferant, non sine ratione singulari quadam anomalia hoc Macedonianum ab illo sic appellatum animadvertitur, qui fraudibus ac sceleribus suis illius condendi occasionem praebuit. Cuius rei licet non inficias eam aliqua adhuc forsitan extare exempla, non tamen propterea album calculum adiciendum puto GOTHOFREDO ad h. t. qui L.

B

Scan-

Scantiniae et Scti Papyriani denominationis originem similem fuisse perhibet. Quod ad hoc attinet, provocant quidem nonnulli ad locum LIVII l. 8. c. 25. Verum exinde nil nisi foedi cuiusdam sceleris narratio, minime vero, legem illa occasione latam a facinoroso illo Papyrio nomen adeptam fuisse discitur. VALERII MAX. locum l. 6. c. 1. quem pariter, licet perperam, excitant, quum ad hanc disceptationem illustrandam ne hilum quidem faciat, merito silentio premimus. Ratione Scantiniae five Scatiniae legis, FARNABIUS quidem ad Iuv. Sat. II. PITISCVS ad Suet. Domit. c. 8. et AELIVS ANTON. Nebriffensis ad Prudent. Peristephanon cum Gothofredo consentiunt, sed enim uero illam a P. Scantio, pontifice, cuius meminit LIVIUS l. 33. c. 2. latam denominatamque fuisse, Cel. CHRISTIVS in hist. L. Scant. Ciceronis praesertim loco Philipp. III innixus, tam inconcusis evicit argumentis, ut non amplius dubitationi locus relinquatur.

§. IV.

Prohibentur autem hoc Scto Maced. generaliter omnes homines, cuiuscumque sint conditionis, filiis familias credere, l. 1. in princ. verb. *ne cui* h. t. tam in dignitate constituti, quam ea destituti, tam mares, quam feminae, quia pronuntiatio sermonis in sexu masculino ad utrumque sexum porrigitur. l. 195. pr. ff de V. S. et verbum quis tam masculos quam feminas complectitur l. 1. ff d. t. Haecque prohibitio non solum extenditur ad privatos, verum etiam ad civitates; nam in civitatibus quoque Sctum locum habere Divi Severus et Antoninus rescrip.

rescripserunt l. 15. h. t. civitas enim hic loco privatorum habetur l. 16 ff. de V. S. adeoque constat, minus privilegiatas esse civitates minoribus, cum minor filiusfamilias in integrum restituitur l. II. in ff. de Minorib. Prohibetur autem mutui datio non cuiusvis rei, sed tantummodo pecuniae. Non comprehenduntur itaque hac prohibitione alii contractus e. c. venditio, locatio, societas. Equidem non ignoro, pecuniae voce in sensu latissimo accepta interdum res tam mobiles, quam soli, corporales et iura designari l. 178 pr. l. 122 ff. de V. S. Verum l. 3. h. t. clarissime ostendit, de sola pecunia numerata hoc intelligendum esse, nisi alii contractus fiant in fraudem huius legis prohibitiveae, veluti si filiofamilias aliae res vendantur, quibus iterum venditis, pretium inde redactum sibi habeat in vicem mutui, eoque pretio utatur l. 3 § pen. l. 7. § mutui 3. ff. de Scto Maced. Inter talia fraudum genera etiam contractus Mohatra referendus, ceu docet STRYK Caut. Contr. S. 2. C. I. § 31. Utque prohibitio haec severitate quadam muniatur, eiusmodi creditoribus actio alias competens vi huius Scti Maced. adimitur, ac ita privilegiata est haec exceptio, ut filiusfamilias ea ante sententiam non opposita post rem iudicatam in actu executionis eam opponere possit. l. II ff. h. t.

§. V.

Rationem Scti Maced. tam in odio foeneratorum, quam in favore parentum seu potius iusta cura civium vitam fortunasque fartas tectasque conservandi iuventutisque profligatos mores coercendi

contineri existimamus. Id quod solè meridiano clarius apparet ex sequentibus ipsius Scti verbis: „ Vt
 „ scirent, qui pessimo exemplo foenerarent, nullius
 „ posse filiofamilias bonum nomen expectata patris
 „ morte fieri „ hoc quoque declarant verba § 7. Inst.
Quod cum eo, qui in aliena potestate est in f. „ Quae
 „ ideo Senatus prospexit, quia saepe onerati aere alie-
 „ no creditarum pecuniarum, quas in luxuriam
 „ consumebant, vitae parentum insidiabantur. Me-
 „ lius enim est coarctare iuveniles calores, ne cupidi-
 „ ni dediti tristem exitum sentiant, qui eos post dis-
 „ persum expectat patrimonium. l. f. § 5. C. de Bon.
 quae liberis.

§. VI.

Iustitiam huius Scti quidam imaginariae aequita-
 tis sectatores in dubium vocarunt, suum cuique tri-
 buendum, lucellumque aliena adquisitum iactura de-
 testandum clamitantes. Vera haec quidem et saluta-
 ria; verum si publicae saluti, supremacae legi adver-
 santur, limitanda. Apud sapientes enim, ut ait
 TACIT. Hist. III c. 55. cassâ habentur, quae neque da-
 ri, neque accipi salva republica possunt. Alii istud
 et cum naturali et cum ipso civili iure adversa fronte
 pugnare, ex illoque sibi persuaserunt concludi posse,
 ex mutuo non oriri obligationem. Verum enim
 uero tam naturalem, quam civilem adesse obligatio-
 nem, facile largior, nec proprie corrui obligationem
 ex mutuo, sed potius pecunia filiofamilias credita,
 uî huius dispositionis Scti Maced. pro mutuo non
 habenda. Cf. GYNDLING. in iur. naturae. Et commu-
 ni omnium salute id flagitante, quis talia statui
 posse,

posse, non intelligit? Frustra occinitur illud Logi-
corum: Cuicumque competit definitio, illi com-
petit definitum; nemo, nisi qui de verbis, quam
rebus disceptare, mavult, in Logica iuridica longe-
aliter rationes subducendas esse, inficiabitur.

§. VII.

Praemissa hac Scti Maced. succincta explicatione,
ut de fideiussoribus, quae maxime necessaria videntur,
in medium adferam, ordinis ratio suadet. Quum,
ut ait TULLIUS de Offic. L. I. omnis res, de qua lo-
quimur, debeat a definitione incipi, ut intelligatur,
quid sit id, de quo disputatur, suppeditata idonea
fideiussionis definitione, quis sit fideiussor satis erit
manifestum, eaque, quae deinceps dicturi sumus,
sufficiente luce collustrabuntur. Non me praeterit,
nonnullos asseverare, exactam fideiussionis definitio-
nem, nec in tit. D. et C. de fideiuss. nec in aliis iuris
nostri locis reperiri. Nec ignoro, permultas, quae
in Corpore Iuris Romani adferuntur, definitiones esse
ineptas. Verum id immerito vitio vertitur legislatori;
nam a principe postulandum non esse, ut legem a
definitione ordiatur; et ex legibus definitiones, non
ex definitionibus leges condendas esse, docuit Cel-
SEVMANNVS, Academiae nostrae lux atque orna-
mentum in Commentat. de definitione in iure periculosa
§ II. Interim et pr. Inst. de fideiussoribus, et in pri-
mis l. 1 ff de O. et A. sufficientia credo exhiberi criteria,
ex quibus, quid sit fideiubere, citra difficultatem in-
telligitur, quaeque adeo commodissime fungi pos-
sunt vice iustae definitionis, qualis, si exactissima tru-
stina res expenditur, in corpore iuris aut nusquam aut

saltem paucis in locis deprehenditur. Re paullo accuratius considerata, non dubitamus nostram facere definitionem Schaumburgii in Compend. Iuris Digest. qui fideiussionem ait, conventionem esse accessoriam, qua quis alieni debito praestationem promittit, si debitor principali obligationi suae haud satisfaciat. Nihil ut mihi videtur, hac in definitione desiderandum. Quis sit fideiussor, nunc satis abundeque perspicitur. Nec de variis fideiussorum classibus aliisque cum scopo nostro haud connexis materiae huius capitibus dicere nunc attinet, sed ut viam nobis ad ulteriora dissert. nostrae momenta sternamus, quis sit filiusfamilias, paucis exponemus.

§. VIII.

Filium familias eum esse, qui sub patria potestate constitutus est, inter omnes constat, filiique familias filios in avi esse potestate patet ex § III. Inst. de Patria potestate et ex l. 21 ff. ad L. Iuliam de Adult. quia is, qui ipse est in potestate alterius, alium in simili potestate habere non potest. Patriam potestatem acquirendi tres dari modos, sc. iustas nuptias, legitimationem, et adoptionem vulgo traditur. Intuitu tamen ultimi huius modi monendum est, adoptionem, quam dicunt minus plenam s. imperfectam, patriam potestatem patri naturali relinquere, adeoque, quae de tribus istis modis vulgo perhibentur, non nisi sub hac restrictione esse admittenda. Varias, in quas dispescuntur legitimatio et adoptio, classes cum a proposito nostro alienum sit percensere, merito hoc labore superfedemus. Potestatem patriam, quam naturalis ratio prodit, aliter Romani, aliter nostri

nostri nomothetae ad ciuitatis genium aptarunt. Ius patriae potestatis civium Romanorum paullo maioris ambitus fuisse, quam nostrum, nemo profecto in dubium adducet. Rationemque, ob quam Romanis tanta potestas erat concessa, nobis deprehendisse videmur in principis cura cives ad matrimonia contrahenda alliciendi, a quibus ob concubinatus labem abhorrebant. Patria Romanorum potestate comprehendebatur per aliquod temporis spiramentum ius vitae ac necis l. 11 ff. de Liber. et posth. l. ult. C. h. t. Quod tamen postea sublatum, cum patria potestas potius in pietate consistere debeat, quam in atrocitate l. 5 ff. ad L. Pomp. de parricid. uel potius, quia inualecente principatu, insignis illa potestas cum status rationibus non congruebat, ut docet Consult. HEVMANNVS in Meditat. de Iuris German. genio recte internoscendo § 11. Vol. II. Exercitat. et modica tantum patris arbitrio castigatio relicta l. un. C. de Emend. propinqu. aut, hac non sufficiente, concessa potestas filios immorigeros offerendi iudici dicturo sententiam, quam pater uelit l. 3. C. h. t. Pariter iure illo continebatur ius filium urgente necessitate vendendi l. 2 C. de Patrib. qui fil. distr. eum vindicandi l. 1. § 2. ff. de R. V. aliaque, quae nunc ut examussum persequamur, instituti nostri ratio non patitur.

§. IX.

Sublata penitus apud nos seruitutis Romanae imagine, facile perspicitur, cessare ius illud filios vendendi. Cessat quoque ius a iudice exigendi, ut secundum arbitrium patris sententiam ferat, prout ostendunt CARPZ. in Praxi Crim. Q. 100. n. 35 et 10.

IO. PHILIPP. in Vsu Pract. Inst. ad tit: de Patria Potestate § 6. seq. Tantum uero abest, ut secundum somnia quorundam u. g. GVDELIN. de Iure novissimo L. I. c. 13 § 5. VINNIJ ad tit Inst. de Patria potest. GROENWEG. de LL. abrogatis, nostri mores legesque a scitis Romanorum hac in materia toto, quod aiunt, coelo differant, ut potius in plurimis, quae ad patriam potestatem, ad modos illius ius acquirendi solvendique spectant, momentis iura nostra cum Romanis egregie conspirent. Praeclare hac de re loquitur Excell. HEVMANNVS loco supra citato: Nescio quid sit, quamobrem patriam Germanorum potestatem eandem ipsam, quam philosophi, sublata ciuitate definiunt, existimemus. Quod si defendi posset, (at cuiusvis aevi monumenta legum dissentiant,) iurisprudentiae nostrae non maior praestantia conciliaretur; cum ea in negotiis infinitis naturae monita, more Romano et interdum Germanico, interpretata sit. Mira confidentia iuris Germanici Doctores hodie tradunt, liberos non parentibus adquirere, sed sibi; penes liberos esse de rebus suis testamentum condere, Romanorum doctrinam de peculio nullius esse usus; parentibus ius utendi fruendi liberorum bonis competere propter onus alendi, inde sequi, ut cessante alimentorum onere, cesset usus-fructus etc. Tam cruda dogmata, quae magna, imo maxima pars Germaniae reiicit, reliqua vario modo circumscribit, tanquam regulas germanicae publi proponere non audeo. Vid. § 12. huius Meditat. et eiusdem celeberrimi Auctoris Dissert. de Testamento filii familias praecipue ad Reformat. Noricae Tit. 29 L. 5. illustrandam. cf. quoque STRYKIVS in usu moder.

moderno Pand. ad tit. de his qui sui uel alieni iuris sunt, et de adopt. et emancip. et aliis modis etc. Et quod speciatim ad Sctum Macedonianum, huiusque vigorem attinet, eiusdem conditionis sunt apud nos filifamilias, cuius erant apud Romanos. Illud enim adhuc in viridi, ut vulgo loquuntur, esse obseruantia, inter alios docent, BRUNNEMANNVS ad l. 3. ff. de Scto Maced. n. 8. et PAUL. VOETIVS ad tit. Inst. quod cum eo, qui in aliena potestate est etc. eiusque confirmatio in *Iuris nostri Statutarii* tit. XIII. l. 4. deprehenditur.

§. X.

Exceptio de iure Quiritium erat defensio rei, qua actio stricto iure competens, aequitatis ratione excludebatur. Indicat id vel ipsum principium Inst. de Exceptionibus, ubi haec leguntur: saepe enim accidit, ut licet ipsa persecutio, qua actor experitur, iusta sit, tamen iniqua sit adversus eum, cum quo agitur. Ex mente autem Ulpiani l. 2. pr. ff. de Except. Exceptio dicta est, quasi quaedam exclusio, quae opponi actioni cuiusque rei solet ad excludendum id, quod in intentionem condemnationemve deductum est. Secundum hodierni itaque iuris principia, exceptio est defensio rei, qua intentionem actoris elidere studet.

§. XI.

Expositis igitur, quae, ne plane sicco pede transirem, ordinis ac perspicuitatis ratio postulabat, sine ullo negotio, quis fideiussor filifamilias, quidque sit exceptio Scti Maced. intelligitur. Omnem itaque nunc lapidem movebo, ut sententiam meam firmis fulciam argumentis. Deficior quidem pondere
C isto

isto et robore, quod ingens Doctorum consentientium numerus sententiae meae conciliare posset; verum cum res non tam auctoritatibus, quam rationibus, conficiatur, in his exponendis, quantum quidem per virium mearum tenuitatem licebit, omnes ingenii neruos intendam.

§. XII.

Primum vix ac ne vix quidem accidit casus, in quo fideiussor filii familias non dolose agat, ac Scti Maced. exceptione tutum se fore sperans, hancque fideiussionem nil periculi habituram, credens, non sine leuitate et malitia fidem pro filio familias interponat. Quanto autem odio leges nostrae iure meritoque prosequantur dolum, neminem facile fugit. Nam ne personae quidem summis alias priuilegiis et iuribus munitae, si in dolo versatae sunt, illorum usum gaudent; sic u. g. mulierem, si dolose egisse deprehenditur, ius illud singulare, quo vi Scti Velleiani gaudet, non tuetur. Quod si itaque decipiendi animo ac sciens se non teneri, pro aliquo intercesserit; exceptio Scti Velleian. ei non datur l. 30 ff ad Sct. Velleian. Nam deceptis, non decipientibus amplissimus Ordo opitulatur l. 2. § 3 h. t. nec calliditati, sed infirmitati mulierum consultum est. l. 5. C. ad Sct. Vell. Pari modo etiam cessat restitutio in integrum propter dolum minoris l. 9 ff. de Minor. Et quum ipse filius familias propter admissum dolum, patrem familias se esse asseuerando, exceptione Scti Maced. priuetur l. 1. C. ad Sct. Maced. l. 3. et 19. ff. h. t. cur ex eadem causa, fideiussori in dolo uersanti non deneganda sit, neutiquam intelligi potest.

§. XIII.

§. XIII.

Deinde , si quis pro pupillo sine tutoris auctoritate obligato , prodigove aut furioso , ad quos iura singularia minoribus concessa extenduntur , fidem interposuerit , ei non subuenitur , sed tenetur l. 25. ff de Fideiuss. et Mandator. et l. 13 pr. ff de Minorib. Hic enim casus referri nequit ad communem istam regulam , ubi nullus principalis debitor , ibi nullus fideiussor. Nec obstant uerba l. 6. ff de V. O. pro eo , cui bonis interdictum , fideiussorem interuenire non posse , sicut nec pro furioso. Omnis enim difficultas ratione harum legum , quae primo intuitu forsitan sibi contrariari inuicem possent uideri , commodissime hoc pacto tollitur , si dicatur , fideiussorem in illo casu non proprie obligari , qua fideiussorem , sed potius tamquam promissorem et debitorem principalem esse considerandum , quia furiosi et pupilli infantes ne naturaliter quidem obligantur , pupillorum vero adultiorum et prodigorum naturalis obligatio per iuris nostri dispositionem irrita redditur. Hoc sensu uerba illa l. 6. ff de V. O. sine dubio explicanda sunt. Eiusmodi itaque fideiussor , dum accedit obligationi , quam per pugnam cum iuris civilis , vel civilis et naturalis simul praeceptis labascere intelligit aut intelligere debet , non tantum donare , sed ex sua persona censetur uoluisse obligari l. 2. C. de Fideiuss. Min. et certa ratione huc quoque facere uidentur l. 1 § 1 ff de Novat. et § 3. Inst. quibus modis obl. toll. Ut paucis uerbis meam sententiam complectar , est talis fideiussor ratione apparentiae , uti quidam loqui

C 2

amant,

amant, sed non ratione existentiae. Verum ne in alium orbem delatus uidear, quorsum haec attulerim, exponam. Nimirum hic secundum analogiam et a minori, ut aiunt, argumentamur ad maius. Quum enim fideiussor, qui pro pupillo sine tutoris auctoritate, prodigo, furioso fidem interposuit, ad soluendum obligetur, quare eandem rationem, ex qua haec ab Imperatore dispositio facta, in casu prorsus simili, locum habere negemus? Cum praeterea et hoc accedat, quod obligatio naturalis filii-familias multo sit validior, multo firmior, quam obligatio pupilli infantis aut furiosi, quae scilicet, uti iam monitum, secundum ius naturale quoque plane nulla est. Quodsi itaque fideiussor obligationi naturaliter irritae accedens tenetur, quidni et is, qui obligationi, utut iure civili infirmatae, naturaliter tamen firmissimae accedit? Noli putare, durius sic obligari fideiussorem, quam debitorem principalem. Durius sane haud obligatur; nam ita non obligatur, ut plus debeat debitore principali §. 5. Inst. de Fideiuss. sed obligatur efficacius, id quod non absolum est; in id enim accipitur fideiussor, ut magis cautum sit creditori pr. Inst. de Fideiuss. et principali debitore nude tantummodo obligato, fideiussor iurisiurandi et hypothecae uinculo potest constringi l. 59 ff. de fideiussor. l. 3 §. f. ff. de Administrat. rer. ad Civitat. pertinent. Nec est, quod obiicias, iniquum videri, ut fideiussor teneatur, qui tamen regressu aduersus principalem debitorem destituitur. Sibi enim imputet fideiussor, quod eiusmodi obligationi accessit, arg. l. 19. ff. de R. I. Sic quoque e. g. filiusfamilias aduersus patrem regressum non habet, l. 4. ff. de

de Iudic. quem tamen pro patre rectissime interuenire posse constat l. 8. C. h. t.

§. XIV.

Sed lepidam, inquis, analogiam, ingeniosam a minori ad maius argumentationem, cui expressa legis verba refragantur! Nonne vi legis 9 ff. §. 3 de SctoMaced. coll. l. 2 ff quae res pignori etc. et fideiussori succurrendum est, et mandatori? Nonne, ubi nulum regressum habent, cessat Senatusconsultum? Sola, regero, haec lex attendenda non est, ubi aliae adsunt, quae eadem vi, eadem auctoritate pollent, et quae illi aduersari videntur. Audiamus Ulpianum l. 6. § 2 ff de Fideiussor. Adhiberi autem, inquit; fideiussor tam futurae, quam praecedenti obligationi potest; dummodo sit aliqua vel naturalis futura obligatio. l. 8. § 6. eod. t. Et generaliter *omnium obligationum fideiussorem* accipi posse, nemini dubium est. In hunc modum loquitur et Iulianus l. 7. eiusd. tit. Quod enim etc. et l. 16 § 3. 4. h. t. Fideiussor accipi potest, quotiens est aliqua obligatio civilis vel naturalis, cui applicetur. Naturales obligationes non eae solae aestimantur, si actio aliqua eorum nomine non competit. verum etiam, cum soluta pecunia repeti non potest. Nec praetereamus § 1. Inst. de Fideiuss. qui haec verba continet: In omnibus autem obligationibus adsumi possunt (fideiussores) id est, siue re, siue verbis, siue literis, siue consensu contractae fuerint. At nec illud quidem interest, utrum civilis, an naturalis sit obligatio, cui adiicitur fideiussor: adeo quidem, ut pro seruo, quoque obligetur, siue extraneus sit, qui fideiussorem

C 3.

a ser-



a servo accipiat, sive ipse dominus in id, quod sibi naturaliter debetur.

§. XV.

Quid itaque de legum hac pugna dicendum? Cauillatusne legislator, aut supina oscitantia, quod antica expulit, postica recepit? Ingens antinomiarum chaos in Corpore iuris deprehendi, conqueruntur multi. Multas autem, quae se invicem destruere videntur, leges conciliari posse, certus sum atque persuasus. Quod si tamen leges re uera contrariae inveniuntur, ea est solummodo valida censenda, quae rectae rationis dictamini est accommodatissima. Fac itaque, leges supra allegatas re ipsa sibi invicem contradicere, nonne eae erunt praeferendae, quae fidei pactorum atque contractuum intemeratam feruari iubent, ac dolose agentes impediunt, quo minus fructum, quem ex malitia sua capere posse sperant, consequantur? Verum alia adhuc ratione difficultatem tolli posse credo. Si fideiussoribus competit exceptio Scti Macedoniani, corrunt omnes illae, quas pro contraria sententia attulimus, leges. Si restringis l. 9. omnis pugna cessat, omnes istae leges conciliantur. Atqui vero, quando una ex legibus, quae sibi invicem contrariari videntur, aliqua ratione ita potest explicari, ut quae adversari videntur, salvae permaneant, omnesque conspirent, hic interpretandi modus praeferendus est sine dubio illi, quo una aut altera necessario subvertitur. Non contendam, maiorem numerum legum, quae pro mea stant sententia, eximio illi esse praesidio; nam fortasse, ut rationes, ita et leges non numerandae, sed ponderandae

randae sunt. Eas autem, quas pro me adduxi leges, huic, quam discutimus, quaestioni accommodatas esse, nisi qui filiumfamilias mutuum accipientem naturaliter obligari negat, in dubium profecto vocabitur nemo, Istud uero, qua ratione fieri possit, minime intelligo. Non ex rationis nunc principiis repetam demonstrationem obligationis filiifamilias. Sufficit illam habere criterium obligationis naturalis, quod l. 10. ff de O. et A. et l. 16. § 4. ff de Fideiuss. affertur, licet istud rigori philosophorum non satis sit accommodatum. Filium enim familias solutam repetere non posse pecuniam, patet ex his uerbis l. 9. in f. et 10. ff de Scto Maced. Quanquam autem solvendo non repetant, quia naturalis obligatio manet. Ex hisce rationibus et verba ista l. 9. ff. de Scto Maced. *nisi forte donandi animo intercesserunt*, ita erunt explicanda, ut semper donandi animo intercessisse praesumantur. Non obstat, hac interpretatione uim inferri huic legi. Propterea enim non in totum subvertitur, illae uero, quae contradicere videntur, leges, reprobata hac explicandi ratione, necessario destruentur.

§. XVI.

Hae uero quas in medium attulimus rationes non possunt applicari ad eum casum, si fideiussor in errore et quidem invincibili versatus fuit, si scilicet aut debitor filiusfamilias dolum admisit, patremfamilias se adfirmando, dummodo fideiussor ex causa idonea ei se fidem habuisse docere possit; aut si iusto errore inductus credidit, eum, pro quo intercessit, patrem esse familias. Quod si enim fideiussor cognitum habuisset

buisset, eum, pro quo fidem interposuit, esse filium-familias, sine ullo dubio ad fideiubendum se induci non passus fuisset. Argumentamur hic ex l. 1. C. ad Sct. Maced. et l. 3. pr. ff. h. t. Cum enim creditor hisce casibus exceptione submoveri nequeat, eo magis et fideiussori erit subveniendum. Quam sententiam etiam prae se ferre videtur l. 9. § 3. ff. h. t. Nec requiritur, ut extremam ac communi maiorem sollicitiam adhibuerit fideiussor in perquirendo, num is, pro quo intercessit, re uera sit paterfamilias, nec ne. Fama enim et communis opinio excusat, et frequentia actuum publicorum facit, ut personae habilis praesumatur, prout ex l. 3. § 2. ff de Testibus, ac infinitis aliis textibus facile colligitur.

§. XVII.

Sed ne haec omnia in republica Platonis disputare uidear, paucis, quid rerum usus in Germania ferat, disquiram. Nodus facili negotio dissolui aut certe discindi posset, si ad eorum sectam accederem, qui Scti Macedoniani usum hodie forenssem esse negant. Agmen ducit ill. de LYDEWIG. in diff. de different. iur. Rom. et German. in mutuo diff. IV not. hh sq. et quia Scti Macedoniani causas cessare tradit, legem ipsam inanem esse censet. Ast, legibus patriis et disceptationibus forensibus quotidianis occlaman-
tibus, omne partium studium abiiciam. Iam in CAPITVLAR. l. VII c. 304 cautum legimus: *Qui filiosfamilias contra interdicta legum inscio patre pecuniam commodavit, eam nec vivente, nec mortuo patre ab eodem poterit postulare.* Tantum abest, ut iunior aetas legum ista interdicta utilissima obliuione aut fastidio obtruerit, ut principes

ac

ac ciuitatum rectores permulti Romanam sanctionem amplioribus uerbis non solum in legum codices retulerint, uerum etiam obsequium poenis excitauerint. Cel STRYK. in. ul. mod. tit. de Scto. Maced. §. 3 Rudolphi II Imp. constit. a. 1589 et Friderici, Regis Borussia. a. 1701 promulgatas, speciminis loco, attulit, quibus quamplurima huius generis edicta earum praecipue urbium, quae studiorum uniuersitatibus florent, addi possunt. Sed id nostram inprimis adiuuat sententiam, quod uix usquam Scti Macedoniani, nisi uario modo restricti, mentio fiat. Quodsi igitur legis istius uigor in speciebus non paucis ratione filii familias deficiat, quidni deficiat in fideiussore ipsius? Ita statutum in *Reformat. Nor.* tit. XIII. l. 4: *Es were dann, dass das geliehen gelt oder anders noch bey den kindern vorhanden oder in iren künftlichen nuz gewendet und kommen were, das soll alsdann zu erkannnis des Gerichts steen. Wo aber die kinder mit wissen und Gedult irer Eltern oder Vormunder Kaufmansweise handelten, davon soll dieses Gesetz nit verstanden werden. Reformat. Francof.* p. II. tit. XI. §. 13: Doch da gedachte kindere solch entlehnet Gelt in ihren oder ihrer Eltern scheinbarlichen kundbaren Nuzen angewendet hetten oder mit Wissen und Zulassen ihrer Eltern kaufmannsweise handelten oder dieselben solch auf borgen genehm hielten oder auch die kindere also geschaffen weren, dass sie für patresfamilias, das ist, dass sie nunmehr außerhalb ihrer Eltern Gewalt weren, sich betrieglich ausgeben, auch vermuthlichen dafür angesehen und gehalten werden möchten: so soll obgemeldt Recht in solchen fällen nicht statt haben, sondern unuerhindert desselben, dem leyher seine actio und Schuld-

D

forde-



förderung bevor stehen. Statut. LVNEBURG. P. II. der Gerichtsordnung tit. 13. Mindens. tit. VII. art. 17. Dunkselsbühl. L. II. tit. I. §. 9. fq. Iur. Prouinc. Württemberg. P. II. tit. 28. Omittimus alia, his similia; praecipue uero inspiciendus Codex Maximilianeus iur. ciuil. Bauaricus a. 1756 promulgatus, cuius P. IV. c. 2. §. 4. exceptio Secti Macedon. additis VI. restrictionibus, exponitur, renunciatione autem iurata uim huius beneficii tolli posse negatur. Deinde P. IV. c. 10 §. 15. latius explicatur, quando fideiussores, quod exsoluerint, repetere nequeant. Der regress hat nur in folgenden Fällen nicht statt: 1) wenn sich fideiussor dessen ausdrücklich und specialiter begiebt, 2) für eine zu contrahirende unfähige Person Z. E. für einen minderjährigen oder 3) gegen ausdrückliches Verbot oder widerwillen des Hauptschuldners oder 4) in unerbaren Sachen Z. E. für Huren-Lohn oder 5) animo donandi auf klar- und deutliche Art fideiubirt 6) wenn er indebite oder sonst unnützer weis für den Hauptschuldner Z. E. doppelt oder einem falschen Procuratori obne genugsame Legitimation oder einem minderjährigen ohne vormundschaftliche Autorität, bezahlt, oder sich denen so wohl ihm als dem debitori principali zukommend. peremptorisch- und wissentlicher Exceptionen nicht hierunter bedient, 7) wenn er zu frühzeitig bezahlt, welchenfalls er jedoch den regress nicht gänzlich verliert, sondern nur die rechte zeit damit abwarten muss. Iam uero argumentari licebit: filiusfamilias ad contractum mutui pecuniarii ineundum inidoneus est; ergo fideiussor id, quod expendit, non repetit. Item: mutuum filii familias in rebus illicitis refertur; ergo fideiussor eius pecuniam numeratam perdit. Fideiussori enim non datur repetitio, si soluat sciens, uel ignorantia iuris, quod soluere non debuit.

debut l. 29. ff. mandati. Ad nostram denique sententiam aperte accedunt *Stat. Müllbus.* l. III. act. 54: Wer kindern, so annoch von ihren Eltern unvertheilet, oder unmündigen und minderjährigen, welche unter der Gewalt und Vorsehung ihrer Vormünder und Curatorn sind, ohne ihrer Eltern, Vormünder oder Curatoren Vorwissen *etwas leihet borget, ausnimt oder Bürge vor sie wird, der soll es verlobren haben und* sollen dergleichen unabgetheilte Kinder, Vnmündige oder Minderjährige auch nach erlangten volljährigen Alter solches zu gelten nicht schuldig seyn. 2. Sie wolten es dann gerne thun, oder das geliehene Gut wäre noch bey den Entlehnern vorhanden, oder wäre in der Eltern oder ihren der Kinder und unmündigen eignen kündlichen Nuz gewendet, welches auf Erkenntnis stehen soll. 3. wo aber unabgetheilte Kinder mit Wissen ihrer Eltern oder Minderjährige mit Wissen ihrer Curatoren ihre eigene Handthierung haben und treiben, von selbigen soll dieses nicht gemeinet, noch verstanden werden.

§. XVIII.

Non nescio, varia adhuc, quae tam illustrationi et ulteriori comprobationi sententiae nostrae, quam remotioni nonnullarum difficultatum inseruire potuissent, adhuc addenda fuisse, in quibusdam quoque momentis nos fortasse humani quid passos esse libenter fatemur; Sed quum perangustis temporis limitibus circumscribamur, ueniam nos hac in re speramus esse impetraturos.

PRAESTANTISSIMO DOM. CANDIDATO

S. P. D.

IO. HEVMANNVS, D.

H. T. COLLEGII ICTORVM. DECANVS.

Quamquam legibus non tam interpretum ingenium, quam
 ciuium obsequium uitam decusque summum praestare uidetur :
 idcirco tamen ex arte nostra non est expellendum ingenium.
 Iurisprudentiae formas uarias esse nouimus, quarum cum
 mentis acumine carere possit nulla, uim eius omnem sibi maxi-
 me poscit nomothetice. Etenim legum auctores, quid acqui-
 tati, quid cuique reipublicae statui conueniat, sagaciter per-
 uestigare aut iuris certe politicesque peritorum operam ad rem
 istam perarduam adhibere debent. Quid igitur impedit, quo-
 minus e fori cancellis egressi aliquando leges suadere conemur?
 Quis nesciat, Germaniae procures iuris communis scitis ita
 non esse alligatos, ut ab iis discedere nequeant? discessisse eos
 saepenumero, ingens statutorum multitudo documento est.
 Proinde, CANDIDATE ORNATISSIME, quod in specimine hoc in-
 augurali concinnando, collocasti studium perdidisse non uide-
 ris, tametsi sententia tua magis iuris analogia, quam legibus
 perspicuis mittitur, nec commentatorum suffragiis multum ad-
 iuuatur. Si qui S^Ci Macedoniani usum prorsus in dubium
 uocare audeant: tibi quoque articulum unum studiosius excutere
 licebit. Diligenter curabis, ut et in posterum consilia cum
 clientibus, fidem tuam imploraturis; tum reipublicae saluta-
 ria capias, quae ut euentu bono tibi ex omni parte frus-
 tuoso approbentur, admodum opto. Vale, rerumque
 expetendarum copia et usura perpetua laetare. D. XIII

KAL. IUL. CLIOCCCLVIII.

PRAE.

PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
 DOMINO CANDIDATO
 FAVORI AMICO SVO HONORATISSIMO
S. D.
 BERNHARDVS MAVRITIVS HOFFMANNVS
 I. V. LICENT. OPPON.

FOrensiū caussarū patrociniā ipsorū litigantiū nomine ab aliis suscepta et peracta antiquissimis temporibus cognita non tantum, sed studiose inuenta, optimisque legibus, a summis rerum publicarum moderatoribus munita fuisse, hodieq̄ muniveri, eos tantummodo fugere potest, qui iuris iustitiaeque prorsus ignari, simulque ofores, quasi insectorum instar atque vermium, non nisi fimo sordibusque insident inbiantque, cetera omnia negligunt, vilipendunt, abominantur. Pro gravitate insigni negotiorum forensium, aliorumque iuridicorum, nomen sane eiusmodi Patronorum, seu ut audiunt, Advocatorum, maxime honorificum est, laus atque gloria multa, tituli et dignitates insignes, Procerum favor eximius, privilegia varia: at tamen odium quoque singulare, et convicia adeo, nonnumquam sequuntur; quae aut ab iis in causidicos, immerito quidem, proficiscuntur, quibus brutum arbitrium, iniuria, dolus, et quae sunt alia vitia, pro lege sunt; aut erga rabulas, formularios atque legicrepas, vultures istos forenses, et saccularios, diriguntur, idque haud immerito, cum boni Advocati officium veram requirant Iurisprudentiam, atque rerum peritiam, curam, et diligentiam strenuam, candorem, atque fidem non infucatam, modestiam et constantiam, et quae sunt plura; unde tritum istud et forense:

Rite, Brevis, Diligens, et Candidus esto Iurista,

Modestus, constans, Fidelis lite gerenda.

Rem in vulgus notam, ab aliis satis pertractatam, late nunc quidem dicere meum non est. Id volo: Scio Te, Praenobilissime ac Doctissime Domine Candidate, foris, caussisque aliorum ibi ventilandis, studia Tua adplicaturum. Necessariam iuris legumque prudentiam ideo sedulo antea Tibi parasti, eamque cum requisita humanitate, fide, candore ac modestia, feliciter iunxisti. Doctrinae Tuae specimina prostant clarissima. Disputatio Tua inauguralis, masculae elaborata, inter alia, causam Tuam dicit optime. Iure itaque Tuo gradus in Iure supremos, ad manus conspicuum et grave Tuum futuri Iuriconsulti ac Reipublicae:

D 3.

pa-

patriae Advocati tuendum illustrandumque aptissimos, ambis et consequeris. Gratulor Tibi felices hosce rerum Tuarum successus ex animo. Faxit, precor, Deus O. M. ut in Patriae dulcissimae, Tui, Tuorumque, gloriam et utilitatem certissimam, vergant haec, et quae in posterum, aliorum causa suscipies. Beet Te, ornetque Numen aeternum ita, ut alma Respublica patria habeat, quod de Te candido spectataeque fidei ac doctrinae, Iurisconsulto gloriatur, concives laetentur Tuque Iple mirifice delecteris. Vale, mibique idem Tecum paranti, rogo Te, in posterum fave. D. D. XX. IVN. CIDIÖCCLVIII.

Monsieur.

C'est aujourd'hui, Monsieur, que je trouve une occasion très-favorable, pour vous temoigner l'estime, que j'ai pour vous. Vous defendez une Dissertation, ecrite avec tant de sagesse, que c'est un veritable temoignage de votre savoir. Vous faites bien connoitre au public par cette preuve, que vous etes digne des plus grands honneurs, que l'etude du Droit nous puisse procurer. Je vous en felicite de tout mon coeur, et vous souhaite un bonheur, capable de satisfaire votre juste ambition. Du reste, je vous prie, de vouloir m'honorer du titre de votre ami et de me faire la justice, de croire, que je serai de mon coté toute ma vie,

Monsieur,

vosre très-humble et très-obeissant serviteur
 JEAN VLRIC CHRISTOFLE
 TRESRENVTER. Oppof.

VIRO PRAENOBILISSIMO
 IOANNI LAURENTIO DRECHSLERO
 IVRIVM CANDIDATO DIGNISSIMO
 AMICO ADCINERES VSQVE COLENDO
S. P. D.
 CHRISTOPHORVS SIGISMVNDVS LVFFTIVS
IVR. CVLT. OPP.

QUANTI TE semper fecerim, quantumque amoris in TE nullo non tempore collocaverim, multis exponere supervacaneum esset. Singularis enim *TV*A humanitas ita est cimparata, ut omnium fere animos alliciat, *TIBI*QUE proprios reddat. Praesertim vero et ego magnis quid? quod maxi-

maximis convictus sum argumentis de amicitia TVA mihi non satis veneranda. Iure itaque meritoque TE AMICE OPTIME, DILECTISSIME, eo, quo possum cultu prosequor omnesque, quae mihi se offerunt occasiones, TIBI optima quaeque apprecandi, cupide arripio; id quod nunc maxime mihi observandum esse existimo, quum haud vulgare eruditionis TVAE specimen edas, simulque viam TIBI ad maiorem felicitatis TVAE gradum omne pandas fortunato. Non possum non TIBI DIGNISSIME DOMINE CANDIDATE, honores, quos consequeris, amplissimos, dignissimaque industriae ac eruditionis TVAE praemia, gratulari, meque favori TVO ac benevolentiae in posterum quoque commendare, Faxit Supremum Numen, ut omnia TIBI eventiant prospera atque exoptata; largiatur TIBI omne felicitatis genus uberrimosque gloriae fructus, impleatque ardentissima, quae TIBI ab amicis voventur, vota. Sic enim fiet, ut Patriae carissimae TVISQUE ad seros usque annos decus sis atque ornamentum. Ego vero non dubito, quin me, pro ea, qua soles, benignitate in posterum quoque consuetudine ac amore TVO haud indignum censeas, praesertim quum numquam, quae mihi praestanda sunt, officia sim neglecturus. Vale. DAB: ALTORFII. XVII. CAL. IULII, CIOIOCCCLVIII.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

GEORGIUS CHRISTOPHORVS SCHWARZIVS,
PHILOS. CAND.

Ingratus, Tuoque favore plane indignus essem, Amice Optime, nisi ea occasione, quae maxime opportuna mihi videtur, animum meum, tua amicitia nostra Tibi deditum, summoque, Te nimirum res Tuas feliciter agente, gaudio perfusum, rite Tibi significarem; id quod quidem non ea ex causa faciendum mihi esse existimo, quo hisce ex litteris meum in Te amorem demum cognoscas, sed quo studio meo, aliis quoque, quae inter nos amicitia intercedat, declarandi, satisfaciam. Quos consequeris, Candidate Dignissime, honores, etsi amplissimi, non eiusmodi tamen sunt, ut Tibi eosdem multis verbis gratuler. Gratulandi enim officium amicis proprium, consuetum atque familiare, nec dignitatum accessione metiendum est. Quae igitur Tibi nunc persoluo, vota non differunt ab iis, quae nullo non tempore mente Tibi persolui, differunt autem, quod, quoniam summis ornariis honoribus, publice soluuntur. At non est, quod Te, ut gratulantium mos est, Tuamque eruditionem extollam laudibus; extollunt enim ingenium, diligentiamque Tuam, qui penitus studia Tua pernolescere possunt. Non est, quod multis ostendam, splendidam, quam summi Themidos sacerdotes Tibi tribuunt, dignitatem dignam esse meritum.

Tuo.

Tuorum mercedem. Quid uero? Amicitiam Tuam, cuius ego quidem cognitionem uindico, uerissimis effero laudibus; Sincerum animi Tui, quem mihi hucusque probasti, affectum grata colo mente atque publice teltor; Egregiam Tuam indolem et laudabile Tuum, non simulate, non negligenter, non priuati commodi causa, sed sine ulla specie atque adulatione amicos ueros uere amandi, studium ueneror iustissimisque prosequor pr aec onis. Quae igitur uota, quas Tibi debeo grates? Non, ut floreas tantum uigeasque, sed, felicitate alios ut superes longissime opto; non ut continues Tuum erga me fauorem, (certissime enim de eo persuasus sum), sed ne ulla nos umquam uicissitudo seiuugat precor, idque eo magis, quo arctiori nos uinculo mutuis artis, quae a Musis nomeni, accipit, amor coniungit. Vale.

Doctrina, sacrarumque scientia
Praelara legum quem decorant, capit
DRECHSLERVS amplos nunc honores,
Praemia digna suo labore.

Iam iam feracis litigiorum adit
Praesente cancellos animo fori,
Nexus resolvens impeditos
Iuris, et auxilio valente

Moestos reos solatur et opprimit
Grassans scelus, poenis uictum domat,
Dirumpit, inciditque nervos
Nequitiae, Themidis sacerdos.

Virtute praesans ac meritis suis
Cunctis placens, fulgebit honoribus
Intaminatis; Non habebit,
Sorte fruens placida, quod optet.

Paucis hisce
Praenobilissimo, Doctissimoque
DOMINO CANDIDATO,
Fautori atque Amico suo
aestumatisimo,
summos in utroque lre honores
gratulatur, fata adprecatur prospera,
ac se sui que memoriam
de meliore nota commendat
WOLFGANGVS IAEGER.
Norimbergensis.

Altdorf, Diss. 1756-60

ULB Halle

002.512.319

3



f
56.



1758
Pri. 31. num. 18.

12

2. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE

EXCEPTIONE SENATVSCON-
SVLTI MACEDONIANI FIDEIVS-
SORIBVS FILIORVMFAMILIAS
DENEGANDA

QVAM

DIVINIS AVSPICIIS
IVSSV ET AVCTORITATE
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN CELEBERRIMA ACADEMIA ALTORFINA
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE OBTINENDI

DIE XX. IVNII A. MDCCLVIII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET

IOANNES LAVRENTIVS DRECHSLER
NORIMBERGENSIS.

ALTORFII

TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.

